



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De episcopo criminato, si iudicem suspectum habuerit. cxlviii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

tionis vitam ducunt : quoniam tales facilè & indifferen-
ter lacerant , & criminantur rectè & piè viuentes. Ideo
suspicio erum discutienda est primò & corrigenda. Ne-
que accusatoribus suspectis , vel de inimicorum domibus
prodeuntibus credendum.

*Episcopus si ab aliquo pulsatur, per episcopos iudices
causa finatur. Cap. CXLV.*

SI quis episcopus à quoquam impetitur, vel ille aliquam *Ex cõcil.*
quæstionem retulerit, per episcopos iudices causa fi- *Spalensi,*
niatur: siue quos eis primates dederint, siue quos ipsi vi- *cap. 8.*
cinos ex consensu elegerint.

*De episcopis iudicibus quos communis consensus
elegerit. Cap. CXLVI.*

Iudices autem episcopos, quos communis consensus *Ex eodẽ*
elegerit, non liceat quemquã prouocare : & quisquis *cõc. ca. 9.*
probatu fuerit pro cõtumacia nolle obtemperare iudici-
bus. cũ hoc primæ sedis episcopo fuerit probatũ, det lite-
ras, vt nullus ei cõmunicet episcoporũ, donec obtèperet.

*Vt episcopi comprounciales peregrina iudicia non
patiantur. Cap. CXLVII.*

Peregrina verò iudicia, salua in omnibus apostolica *Ex decre.*
auctoritate, generali sanctione prohibemus. Quia in- *Fabiani*
dignum est vt ab exteris iudicetur, qui prouinciales & à *pape Hi-*
se electos debet habere iudices, nisi fuerit appellatũ. Vn- *lario epi-*
de oportet, si aliquis episcoporum super certis accusetur *scopomis-*
criminibus, vt ab omnibus audiatur qui sunt in prouincia *sis, ca. 26.*
episcopis : quia non oportet accusatum alicubi quàm in
foro suo audiri.

*De episcopo criminato, si iudicem suspectum ha-
buerit. Cap. CXLVIII.*

SI quis verò episcopus iudicem suspectum habuerit, *Ex decre.*
& viderit se ingrauari, liberè sedem apostolicam ap- *eiusdẽ ad*
pellet. Appellantem autem non habeat afflictio vlla, aut *eundẽ epi-*
detentionis iniuriôsæ custodia, sed liceat appellatori cõ- *scopũ mis-*
uiciantum causam appellationis remedio subleuare: licet *sis, ca. 27*
etiam in causis criminalibus appellare, nec appellãdi vox
denegetur ei, quem in supplicium sententia destinarat.

*Si quis episcopus in crimine detentus fuerit, & non po-
test plurimos congregare, à XII. episcopis
audiatur. Cap. CXLIX.*